OFFICIVM
S. ANDREÆ
CORSINI
ORDINIS CARMELITARVM
Epiſcopi Feſulani, & Confeſſoris.

SEMIDVPLEX.

A Sacra Rituum Congregatione approbatum.

De mandato Sanctiſſimi D.N. ALEXANDRI Diuina diſpoſitione Papæ VII. in Breuiario Romano apponendum.

Et ab omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, ad libitum die iv. Februarij recitandum.



PATAVII, MDCLXXI.

Apud Cadorinum.

IN FESTO
S. ANDREÆ CORSINI
Ordinis Carmelitarum
EPISCOPI FESVLANI, ET CONF.
Semiduplex ad libitum.

Omnia de Commum Confeſſ. Pontific. Præter Orationem, & Lectiones ſecundi Nocturni.

Oratio.

DEus plebis tuæ miſerator, cui B. Andreas Pontifex, abdicatu ſæculi faſtu, liberiori placuit miniſterio: da, quæſumus, Paſtoris ſui ſolemnia recenſenti, eius non deſtitui ſuffragio, cuius confidit meritis, tuæ reſtitui gratior maieſtati. Per Dominum noſtrum, &c.

In primo Nocturno, Lectiones de Script. occurrente.

In ſecundo Noct. Lect. iv.

ANdream Florentiæ, ex nobili Corſinorum familia natum, parentes precipus à Deo impetrarunt, & B. Virgini ſpoponderunt. Qualis autem futurus eſſet diuino præſagio, antequam naſceretur, oſtenſum eſt: nam Mater grauida ſibi viſa eſt per quietem lupum edidiſſe, qui ad Carmelitarum ędem pergens, in ipſo templi veſtibulo ſtatim in agnum conuerſus eſt. Adoleſcens piè, & ingenuè educatus, cum ſenſim ad vitia declinaret, ſæpè à matre increpatus fuit. Vbi autem cognouit ſe parentum voto Deiparæ Virgini dicatū fuiſſe, Dei amore ſuccenſus, denique viſu Matris admonitus, Carmelitarum inſtitutum amplexus eſt, in quo variis tentationibus à Dæmone vexatus, nunquam tamē potuit à Religionis propoſito dimoueri. Mox Lutetiam miſſus, emenſo ſtudiorum curriculo, & laurea donatus, in patriam reuocatur, ſuique Ordinis regimini in Heturiam perficitur.

℟. Inueni Dauid.

Lectio v.

INterea Feſulana Eccleſia ſuo viduata Paſtore, eum ſibi Epiſcopum elegit, quo munera ſe indignum æſtimans diù latuit ignotus, donec pueri voce mira-

biliter loquentis proditus, & extra Vrbem inuentus, ne diuinæ contradiceret voluntati Epiſcopatum ſuſcepit. Ea dignitate auctus humilitati, quam ſemper coluerat, impenſius incubuit, & paſtorali ſolicitudini miſericordiam in pauperes, liberalitatem, Orationis aſſiduitatem, vigilias, aliaſq; virtutes adiunxit; & ſpiritu etiam prophetico clarus fuit, adeout eius Sãctitas ab omnibus celebraretur.

adiutorium.

Lectio vi.

℟. His permotus Vrbanus V. ad ſedandas Bononiæ turbas Andreas legatum miſit; quò in munere multa perpeſſus Ciuiũ odia, quæ ad internecionem exarserant, ſumma prudentia reſtinxit, tum reſtituta tranquillitate ad propria reuerſus eſt. Nec multo poſt aſſiduis laboribus, & voluntaria carnis maceratione confectus, obitus die à B. Virgine ſibi prædicto ad Cæleſtia regna migrauit, Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimotertio, ætatis ſuæ ſeptuageſimo primo; Quem Vrbanus Octauus multis, magniſque Miraculis clarum, Sanctorum numero adſcripſit. Eius corpus Florentiæ in Eccleſia ſui Ordinis quieſcit, & maxima Ciuium veneratione colitur, quibus non ſemel in præſenti diſcrimine præſidium fuit.

℟. Iste eſt qui ante Deum.

In tertio Noct. Hom. in Euang.

Homo peregrè proficiſcens. vt in Communi Conf. Pontif.

Miſſa de Communi Conf. Pont. Statuit ei Dominus. cum Orat. propria.

Euang. Homo peregrè proficiſcens. de eodem Communi

Congregatio Sacrorum Rituum Lectiones prædictas de Sãcto Andrea Corſino reuidit, ac maturè perpendit, & approbauit die 18. Septembris 1666 Eaſque Sanctiſſimus cum reliquis de Communi Confeſs. Pontif. & præfata Oratione propria ab omnibus Christi fidelibus vtriuſque ſexus tum Sæcularibus, tum Regularibus ad libitum ſub ritu ſemiduplici recitari, & imprimi poſſe conceſſit.

Die 21. Octobris 1666

M. Epiſcop. Portuen. Card. Ginettus.

Loco ✠ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congr. Secr.

Q8 853806

Digitized by Google